



**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs III. & IV. Vtrum termini numeralas ponant aliquid in diuinis.  
articulo 3. & 4.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)



Obiectio.

Solutio. Spiratio actiua non constituit personam, sed in diuiduum quoddam communicabile.

Non est personalis relatio neque proprietatis.

Perfectiora non est opus ut habeant plures actiones immanentes.

Obiectis, iuxta numerum relationum est numerus personarum: sed sunt quatuor relationes diuinae: ergo sunt quatuor personae. Neganda est maior propositio: spiratio namque actiua, quia communis est Patri & Filio, est quod neutri opponatur, Patereque habeat eam à se, Filius uero à Patre per generationem, non constituit personam, sed indiuiduum quoddam Patri & Filio commune, quod proinde rationem non habet personae, cum persona quippiam incommunicabile esse debeat, ut ex dictis quaestione praecedente est manifestum. Quare spiratio actiua, neque relatio personalis, hoc est, constituens personam, neque proprietatis personalis dicitur, ut docet hoc loco Diuus Thomas in responsione ad primum. Quae in hoc articulo dici poterant, dicentur commodius quaestione 36.

In responsione ad tertium D. Thomae habes, non esse necesse perfectiora habere plures operationes immanentes, maxime quando sunt simpliciora. Quare Angelus & Deus pauciores habent operationes immanentes, quam homo: cum tamen homo plures habeat, quam caetera animalia.

ARTICVLVS III. & IV.

Utrum termini numerales ponant aliquid in diuino.

**P**ONERE aliquid idem sonat hoc loco, ac significare aliquid positium. Querit igitur Diuus Thomas, utrum quando dicimus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus sum tres, terminus ille numeralis, tres, significet ac enunciet aliquid positium de diuinis personis, quemadmodum quando dicimus Deus est sapiens, terminus, sapiens, significat atque enunciat aliquid positium.

Quaestio sensus.

Quidam attendentes ad solum numerum praedicamenti quantitatis, qui est uera quantitas, in duas opiniones distracti sunt, quas hoc loco refert D. Thomas. Prima fuit Magistri in 1. distinctione 24. quo in loco affirmavit, terminos numerales non tribui rebus diuinis ad aliquid ponendum ac affirmandum, sed ad aliquid remouendum. Ut Deum dici unum, ad excludendum ac significandum non esse plures, personas uero dici tres ad excludendam singularitatem & solitudinem, quasi sit sensus, in Deo non est tantum Pater, nec tantum Filius, sed etiam Spiritus sanctus, & nulla alia persona. Licet autem Diuus Thomas hoc loco hanc sententiam cum sua propria conciliare conetur, D. tamen Bonauentura eadem distinctione affirmat sententiam Magistri non teneri.

Opinio Magistri.

D. Thomae sententia.

Numerus transcendens quid dicat in diuino.

Est ergo sententia D. Thomae, praeter numerum praedicamenti quantitatis dari numerum transcendente communi omnibus entibus, etiam personis diuinis. Cum uero huiusmodi numerus nihil aliud sit, quam collectio plurium unitatum transcendentium: unum autem transcendens dicat entitatem ipsam, quae una dicitur, & addat duplicem negationem, unam diuisionis in se, alteram identitatis cum quocumque alio, sit, ut numerus transcendens nihil aliud dicat quam entitates ipsas de quibus praedicatur, cum duplici illa negatione circa unamquamque earum. Quando ergo diuinis personis tribuimus terminos numerales dicentes, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse tres, tribuimus eis entitates ipsas ipsarum personarum diuinarum, cum duplici negatione circa unamquamque earum: quare huiusmodi termini numerales

nihil positium addunt supra res quibus tribuuntur, sed solum negationes explicatas. Quae hoc loco addi poterant, dicta sunt 4. Metaphys. & ad praedicamentum quantitatis. Articulus 4. expositus fuit quaestione praecedente una cum articulo illius quaestionis.

QUESTIO XXXI.

De iis quae ad unitatem, vel pluralitatem pertinent in diuinis.

ARTICVLVS I.

Utrum sit sanctissima Trinitas in diuinis.

**C**ONCLVSIO est affirmans, ac de fide. Patet ex illo symboli Athanasij, Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate ueneranda sit. Et ex illo Concilij Lateranensis cap. Damianus, de summa Trinitate & fide Catholica. In Deo Trinitas est, & non quaternitas, & ex plerisque aliis. Quando autem Concilium provinciale Toletanum undecimum in confessione fidei, ait: Nec reuera dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas, intelligit, quasi Trinitas sit in natura diuina: continuè namque iungit, sed unus Deus Trinitas personarum scilicet.

Trinitas est in Deo, & est ipse Deus.

Aduerte tamen in hac materia. Cum termini numerales transcendentes de formali significant entitates ipsas, quarum singulae in se indiuisae diuisae uero à quavis alia denominantur unum: Deus autem sit entitates ipsae personarum diuinarum, rectè in abstracto uero dicere licet non solum in Deo esse gloriosissimam Trinitatem personarum, sed etiam Deum esse adorandissimam Trinitatem ipsam, id est entitates personarum, quibus conuenit, ut sint tres.

Quod si terminus numeralis praecise significet negationes, tunc in rigore haec esset falsa, Deus est Trinitas, sicut in rigore haec est falsa, Deus est immutabilis, id est, negatio mutabilitatis. Si uero dicatur ex accommodatione usus Sanctorum, & Conciliorum nomen, Trinitas, sumi pro rebus ipsis, quibus conueniunt negationes indiuisiois in se, & diuisionis à quocumque alio, & hoc modo Deum dici esse altissimam Trinitatem ipsam personarum.

Circa responsionem ad tertium aduerte. Concilium Toletanum undecimum loco citato etiam docere, hanc non esse concedendam, In Deo est triplicitas. Idem docet Augustinus 6. de Trinitate cap. 8. Ratio autem est illa eadem, quam reddidimus quaestione praecedente articulo ad quartum.

In Deo non est triplicitas.

ARTICVLVS II.

Utrum Filius sit alius à Patre.

**D**E hac re cautius, quam in quacumque alia, est loquendum. Ut enim Augustinus 1. de Trinitate ait: Nec periculosius alicubi erratur, neque laboriosius aliquid queritur, nec fructuosius aliquid inuenitur. Quare si in quacumque alia re vitandae sunt semper locutiones, quae erroris occasionem praeberere possunt, id maxime in hac est obseruandum, ne ex uerbis inordinate prolatis, iuxta Hieronymi sententiam, beuere incurramur. Ex ergo locutiones vitandae sunt, quae uel iuxta errorem Arii, pluralitatem, aut diuersitatem in essentia innuere, uel iuxta errorem Sabellij, tollere uidentur pluralitatem personarum, Quamuis ergo concedenda sit distinctio unius personae

Quae haec sententia in materia est laudanda.